

Landscorona

PAVLVS V. PONT. MAX.
locum hunc Benedictione Sua prosequi
et Indulgentijs datur dignatus est.

Heremitorium V. fratrum
Polonorum.

MONS CALVARIAE



DEXTERA DOMINI
FECIT VIRTUTEM.
NICOLAUS A ZEBRZ
DOVICZE, PALATINVS
ET GENERALIS CRACO
VIENSIS, SNIATHINENQZ
CAPITANEVS, LXIIII
FVNDAVIT.
ANNO CHRI. M. D. C.

Invenimus eam in
Campis Silvae.



MONTIS CALVARIÆ IN POLONIA,
ad similitudinem eius qui in Palestina est, Typus.



Imagni nominis fluminum capita & fontes adspicere, volupe nobis ducimus: quanto magis Christiano homini iucundum erit ea videre atque obire loca vnde omnis nostræ salutis emanauit? Et certe inspectionem eorum locorum quæ Redemptor noster vestigiis suis impressit, & sanctissimæ vitæ suæ actionibus consecrauit & dedicauit, plurimum momenti ad pietatis conferre studium, & cuius qui ferreis non rigeat præcordiis, acres ad vitæ emendationem addere stimulos, diuinumque amorem mirifice in cordibus accendere, & per se notum est, & testantur qui hoc ipsum experti sunt. De quo pius & eruditus scriptor Ludolphus de Saxonia sic scribit: *Ad terram sanctam quam vniuersa Christi Ecclesia nocte dieque sociare non desunt, quam bonus ille Iesus inhabitando, & verbo vel doctrina illuminando, illuminatam suo sacratissimo sanguine consecrauit, delectabile est aspicere, sed delectabilius eam oculis corporis intueri & mentis intellectu reuoluere, quomodo in locis singulis in ea nostram salutem Dominus operatus sit. Quis enim enarrare sufficit, quot deuoti discurrentes per loca singula in spiritu uehementi osculentur terram, amplectantur loca in quibus dulcem Iesum vel steterisse, vel sedisse, vel aliquid egisse audierunt? Nunc tundunt pectus, nunc sletus, nunc gemitus, nunc suspiria emittentes, gestu corporis & deuotionis quam foris ostendunt, & absq; dubio intus habent, in lachrymas prouocant plerumque etiam Saracenos. Quid dicam de Patriarchis, Iacob, Ioseph, & fratribus eius qui quia vixi in terra esse non potuerunt, elegerunt in ea mortui sepulturam, &c. Sed quid de sacris mirum hoc sit, quæ apud Ciceronem Atticus testetur, Moueri nos loca ipsa, in quibus eorum quos diligimus aut admiramur, adsunt vestigia. Ille idem Atticus, Me quidē, inquit, ille ipse nostra Athenæ non ita operibus magnificis exquisitisq; antiquorum artibus delectat, quæ recollectione sumorum virorum, ubi quis habitare, ubi sedere, ubi disputare sit solitus: studiosiq; eorum sepulchra cõtemplor. Huc Attici affectum qui hædât, ab omni humaniori cultura alienus sit necesse est. Quâto magis ergo, non dicam de hac, sed summa potius laude dignum eorum est studiū, qui locorum illorum, in quibus factus Dominus noster operatus est, visendorum pio desiderio tenentur? Quia vero cuiuslibet res non ferunt, vt præsens ipse loca hæc adeat atque obeat; Illustrissimus Dominus, D. Nicolaus Zebizdovviski à Zebizidouize, Palatinus & Generalis Cracouiensis, nec non Sinatiniensis, &c. Capiteanus, locum quendam quatuor à Cracouia distantem miliaribus, ei qui in Palestina circa Montem Caluariæ est, persimilem notauit, & in omnibus quæ ad recolendam Christi Domini nostri passionem & mortem pertinent, ad normam Hierosolymitani situs & dimensionis accommodauit; rara liberalitate & ingenti sumtu FF. Minorum S. Francisci de Observantia Monasterio ac templo elegantis structuræ, nec non variis facellis, vna cum Xenodochio, erectis. Qui locus multorum fidelium tam incolarum quam peregrinorum votis & oblationibus celebratur; per Romanos Pontifices Christi in terris Vicarios, amplissimis è sacro Ecclesiæ thesauro Indulgentiis locum letatus. Tu lector, tanti viri pietatem suspice, & æmulare; eidemque vti par est, bene precare.*



M III 750

Inu. nr 2203

dec. 2005

34